



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

II. Kaiser Ludwig bestätigt dem Bisthume Halberstadt seine, die andere Hälfte der Altmark umfassende Diöcese, am 2. September 814.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55003)

II. Kaiser Ludwig bestätigt dem Bisthume Halberstadt seine, die andere Hälfte der Altmark umfassende Diöcese, am 2. September 814.

In honore Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia Romanorum Augustus. Si Sacerdotum ac fervorum Dei petitiones, que nobis de necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non solum Imperialem exercemus consuetudinem, verum et ad beate retributionis mercedem talia nobis facta credimus profutura. Qua propter notum sit omnium fidelium nostrorum industrie, presentium videlicet et futurorum, quia Hildegrinus Catholanensis, Ecclesie Halberstadenfis Episcopus Venerabilis, que est constructa in honorem Christi sui que Proto-martyris Stephani, super fluvium Holtemma, in pago Hartingovve, cujus parochia piissimi patris nostri Caroli Imperatoris Augusti statuta et determinata est his pagis, Darlingovve et Northuringovve, et Belinesheim, Hartingovve, Svavia et Haffingovve, veniens ad nos, detulit nobis immunitates sancti genitoris nostri, pie semper memorandi, in quibus continebatur, quomodo ipsam sedem sub plenissima defensione et immunitatis tuitione habuisset. Pro firmitatis namque studio petivit nos idem prefatus Episcopus, ut ei denuo similia pro mercedis nostre augmento concedere et confirmare debeamus. Cujus petitioni pro divino amore assensimus et ita in omnibus, que iuste et rationabiliter petiit, per hanc nostram auctoritatem studuimus confirmare. Precipientes ergo jubemus, ut nullus iudex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, seu aliquis ex fidelibus S. Dei Ecclesie ac nostris, in Ecclesiam, aut loca, vel agros, sive reliquas possessiones, quas moderno tempore iuste et rationabiliter possidere videntur, in quibuslibet pagis et territoriis sitas, vel quicquid deinceps etiam propter amorem divinum collatum est et ad causas audiendas, vel feuda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut homines ipsius Ecclesie tam ingenuos, quam servos, iniuste distingvendos, aut ulla redibitiones vel villicatus occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi, vel exactare presumat. Insuper etiam prescriptorum incolas omnes pagorum prefate Ecclesie decimas suas fideliter persolvere pro divino amore jubemus et donamus, ut omnibus temporibus in alimoniam pauperum et stipendia fervorum Dei, ibidem Deo famulantium proficiant in augmentum, quatenus ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et Coniuge proleque nostra, et pro stabilitate totius Imperii nostri, a Deo nobis concessi, atque conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Predictam vero parochiam illius circumquaque per diversos pagos sitam, nemo fidelium nostrorum ei exinde aliquid abstrahere, aut prohibere presumat, quin ei liceat per hanc nostram auctoritatem verbum predicationis Domino auxiliante exercere, et ministerium suum plene peragere; et ut autoritas hec nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus et annuli nostri impressione signari iussimus. Datum IV. Non. Septembr., Anno incarnationis Dominice DCCCXIV. Indict. VIII. Anno I. Imperii nostri, Actum in Aquisgrani palatio, in Dei nomine feliciter, Amen.

Nach Leuckfeld Antiq. Halberstad. 614. König XVII, 2, 15.